

Johannes Crocius    Johann Vulckmann


## **Disputatio Theologica Sexta, De Religionis, Quam Ecclesia Evangelica Profitetur, Antiquitate ...**

Marpurgi Cattorum: Hutwelckerus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746573286>

Druck    Freier  Zugang





95

52<sup>b</sup>.6.



Ja 1092 (95.)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione preempitica Academia Genensie cum eo  
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inauourales Academia Ludunensis Patavoru.  
4. Polyvardri. Walai. Anno. 1620.
5. Thysii.
6. Hommii.
7. Sinapij.
8. Ravi Pancognia Orientaliby linguis Trajecti ditta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostoch. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homulia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Chnsti Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpij de Vinbu Liberi Arbitrii coll. loc III, 4. s. 1645.
15. Samhauen Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capiti Nad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribu testibz in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariana.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.  
 25. J. Hammekenig de Persona Christi. 1645.  
 26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoch. 1692.  
 27. ———. Pars II. ———  
 28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delecta Mamp. 1619.  
 29. ———. Ivano. per Europā Doctrina cum script. S. conformitas.  
 30. ———. De Apostolici nominis causis.  
 31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Ivano. Doctrina.  
 32. ———. De Catholicismo Ivano. Evangelica.  
 33. ———. De Antiquitate Relig. Evangelica.  
 34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finckium. 1606.  
 35. ———. De Analogia seu proportione.  
 36. Perzelius de S. Coena Stempforti 1602.  
 37. Tossani Theses contra Evangelicos. ibid. 1605.  
 38. Ravenspergeri Samson redivivus. ibid. 1619.  
 39. Heyderi Ruae quæstionum Theol. Maynurgi. 1611.  
 40. Eglani de Generaliōe Christi. ibid. 1608.  
 41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.  
 42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Pecc. de Baptismo.  
 43. ———. De Predestinatione. ibid. 419. Doctrina  
 44. ~~Compensationem pro baptismo~~  
 45. Conradig Vorshig de Idolatria Pontificationis in cultu Iuriani.  
 46. ———. Itie Stempfort. 1608.  
 47. ———. De Idolatria eorundē in cultu sanctorum.  
 48. ———. In cultu Imaginum Pontificis.

49. P. Petri Roeftii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in  
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae  
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.  
Graevae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.  
2. 3.  
3. 11.  
4. 24.  
5. 29.  
6. 2.  
7. 2.  
8. 38.  
9. 24.  
10. 39.  
11. 40.  
12. 41.  
13. 42.  
14. 43.  
15. 44.  
16. 45.  
17. 46.  
18. 47.  
19. 48.  
20. 49.  
21. 50.

a - a	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A - C
A - B	16
35	A - C
B - 36	A - C
A - 00	A - C
A - C	A - C
A - 00	A - C
A - B	A - B
A - D	A - K
A - 00	51
40	24
128	24
72	20
A - 00	
A - D	
14	
16	
32	
A - G B	
A - C	
A - 00	
A - C	
A - C	
B - G 1	
A - D	

DISPUTATIO THEOLOGICA  
SEXTA,

*De*

RELIGIONIS, QVAM EC-  
CLESIA EVANGELICA PROEL-  
TETUR, ANTIQVITATE,

*De cuius thesibus,*  
Antiquo dierum os & sapientiam largiente,

Præfide

IOHANNE CROCIO, S S.  
THEOLOGICÆ DOCTORE, ET E-  
jusdem in Academia Marpurgensi Pro-  
fessore primario,

*Respondebit*

M. JOHANNES VULCKMANNUS  
Cassellanus Hassus.

*Horis à 7. matutinis in auditorio Theologico.*

Marpurgi Cattorum,  
Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,  
Anno M D CXX.





Consultissimis, Prudentissimis, rerumque multarum  
experientissimis viris,

DN. JOHANNI BECKMANNO } Consalibus spectatissimis  
DN. FRIDERICO DIDAMAR } & gravissimis.

Reliquisq; ordini Senatorio in inclyta ac laudabili Repub.  
Cassellana addictis viris praestantissimis & laudatissimis,  
Dn. ac fautoribus suis perpetuâ observantiâ colendis.

S. D.

**I**Nter eos, studijs qui se dant, more receptum est,  
Quilibet ut quærat sibi Patronos sapientes,  
Quæis offerre queat collecta problemata scripta,  
Invenio nullos, præter vos, hanc *Μελέτην*,  
Quæis consecrarem, Directores Venerandi,  
Cognita præsertim mihi cum sit gratia vestra  
Erga doctarum Musarum castra sequentes.  
Hoc igitur Vobis certamen dedico sacrum,  
Ut sit in obsequij certum, quod debeo, signum,  
Orans obnixè, læto ut munuscula vultu  
Sumatis, captisq; meis studijs faveatis.  
Quod superest, precor ex animo Venerabile Numen,  
Vos Patres patria salvos conservet in ævum.

V. P.  
addictissimus

Johannes Vulckmannus  
S.S.Th, Studiosus



**R**eligionem evangelicæ per Europam ecclesiæ catholicam esse, contra Pontificiorum nugamenta & criminationes, per Dei gratiam, nuper demonstravimus. Non quiescant homines turbulenti ad lites ex litibus neccendas in orbem missi. Denegant fidei nostræ antiquitatis titulum, denegant civitatis Hierosolymitanæ jus & privilegium, deniq; vel eo solam nomine merito omnibus suspectam esse vociferantur, quod à novis hominibus diversorum nominum habeat sectas. Non curamus clamores; pro veritate pauca & quidem, more nostro, plano & simplici stylo differemus.

#### POSITIO I.

**A**dversariorum de antiquitate argumentum est ejusmodi: Vera fides & religio est antiqua: Fides evangelicæ per Europam ecclesiæ non est antiqua. Ergo non est vera. Non hic dicemus quàm præposterè papistæ antiquitatem, qualem ipsi quidem intelligunt, veritatis notam infallibilem constituent. Ea enim de re disp. l. th. 18. & 19. abundè diximus, quò lectorem remissum volumus.

#### II.

Est antiquitas vel ἀρχαία, vel ἀρχαίωσις: sive de hac, sive de ista sit sermo; argumentum gravissimè laborat: Et quidem, major: si de antiquitate ἀρχαίωσις, quæ in solo longi temporis tractu consistit, agatur. Etsi enim hodie vera fides etiam ratione temporis sit antiqua, hoc tamen prædicatum nec soli,

A 2

nec

nec semper subiecto inest, de quo prædicatur. Non soli: quia errori communis est cum veritate vetustas. Id quod negare non potest, qui diabolum à condito mundo errorum semina in hanc usque diem spargere, apud animum suum piè expendit. Christus semen veritatis spargebat sub novi testam. initium: communis inimicus hæresium zizania, cum primùm veritatis lux est exorta & instar radiorum apostolos divinos in univèrsam terrarum orbem emisit, ut queritur Theodoretus præfat. in lib. 2. hæret. fab. *Nam tempore apostolorum tantum seminata sunt hæreses, tempore autem regis Christiani germinaverunt; nostris autem temporibus maturuerunt, & prævaluerunt, inquit, Chrysof. homil. 19. ex ca. 24. Matthæi. Augustinus enarr. in Psal. 16. & 61. Babylonem antiquiorem matre Hierosolymis statuit. Arrianismi, Judaismi, Mahometismi, Paganismætatem considera, & veritatem nobiscum agnosces. Unde Paganorum insolentiam, qui catholicis superbè insultarunt, profectam existimabimus? Augustinus sanè ad antiquitatis opinionem refert, sed ita ut cordatè refutet. Sed, inquit, Paganæ antiquitatis causa verum se tenere contendunt: quia quod anterius est, falsum esse non possit. Quasi antiquitas aut vetus consuetudo præjudicet veritati. possent enim homicide aut molles, aut adulteri, vel ceteri criminosi per hoc illicita sua defendere, quia antiqua sunt & ab ipso mundi initio cepta; cum hinc magis intelligere deberent errorem suum, quia quod reprehensibile est, malè ceptum probatur, quod autem honestum & sanctum est, dignè colitur. Nec posse turpe & reprehensibile ante factum, esse honestum & irreprehensibile. Vide Justinum apol. Ambrosium lib. 3. epist. 30. Lactantium lib. 2. instit. divin. cap. 6.*

III.

*Nec semper:* Aliquando enim vera religio fuit nova, sicut & ipsa ecclesia. Nova in veteri testamento tempore Adami: in novo tempore Christi. Quem tunc quidem in mundo ad-  
huc

huc novum fuisse Chrysoft. scribit hom. 19. in cap. 24. Matthæi. Jam verò fides sine eo vera esse potest, quod ipsi non semper inest. Hanc ergo antiquitatem nisi cum veritate amicabilem societatem ineat, non tantum non procamus, sed etiam publicè atque audacter repudiamus, *cum veritatis ratio non ex consuetudine, quæ est ex vetustate, sed ex Deo sit, qui non ex vetustate Deus probatur, sed eternitate,* inquit Augustinus l. cit. *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est,* scribebat olim Cyprianus epist. 74. ad Pompeium. Imò Augustinus quædam suspensa fieri, propter nimiam antiquitatem docet libr. 18. de civit. Dei c. 38. nempe quæ canonicorum librorum auctoritate destituuntur. Arnobius antiquitatem, quam gentes crepabant, plenissimam errorum matrem appellat lib. 1. contra gentes. præclare Imperator l. 2. C. quæ sit longa consuetudo. *Usus longa vus non vincat rationem aut legem.*

#### IV.

Jam si antiquitas *ἡγέμεθα* in considerationem veniat, exosculamur majorem: Omnis enim vera religio hoc sensu est antiqua, & quidem sola. Hæc est antiquitas, quæ à Deo originem trahit: Hæc est, quam Prophetarum & apostolorum lumine collustratam vera ecclesia agnoscit. Hæc summa est antiquitas, quam venerandus patrum chorus, dissipato gentilitiæ vetustatis fumo, sacræ scripturæ sollicitè vendicat. Vide Justinum in apolog. Tertullianum in apologetico c. 19 & 20. Augustinum l. 18 de civitate Dei ca. 37. & 38. & hanc demum antiquitatem jus canonicum commendat c. frustrà dist. 8. ex Aug. *Frustrà quidam, qui ratione convincuntur, consuetudinem nobis obijciunt, q. consuetudo major sit veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod melius à Spiritu S. revelatum est: hoc planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini proponenda sunt, sed si consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmitus retineri.*

Principium in theologia *ἀρχὴ τῆς θρησκείας*; Quæcunq; doctrina in sacris prophetarum & apostolorum commentariis est fundata, non est nova, sed omnium antiquissima. Dico vobis rem novam. Imò non novam, sed de scripturis, inquit Hieron. tom. 7. in Psalm. 132. pag. mihi 167. Ratum hoc esse volumus. Adversarii ut maximè mussitent, non audent contradicere. Intrepidè ergo subsumimus: Atqui Evangelicæ per Europam. ecclesiæ religio in sacris prophetarum & apostolorum commentariis est fundata. Id quod disputatione secunda solidè probavimus. Hanc impetant antiquitatem, hanc convellant, quotquot adversus nos conspirant antiChristi satellites! *Quia in tempore hoc ex quo obtinuit heresis ecclesias, nulla probatio potest esse vera Christianitatis: neq; refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi scriptura divina: Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi & quæ gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quæ sit vera ecclesia Christi, nisi tantum modò per scripturas,* inquit Chrysostr. homil. 47. in Matt. Donec eas nobis excutiant, de veritate securi sumus.

VI.

Invident nobis hanc gloriam: sed & diversis argumentis petunt. Præ multis Bellarminus in ea obscuranda laudem quærit. Nominat enim 1. auctorem Lutherum & Calvinum; 2. nova dogmata; 3. tempus; 4. locum, Saxoniam. 5. oppugnatores; Leonem X. Conc. Tridentinum, academias omnes catholicas, doctores plurimos. 6. initia valdè exigua. libr. 4. de notis eccles. cap. 5.

VII.

I. Distingue auctores à ministris. Lutherum & Calvinum fidei nostræ auctores minimè esse, duo comprimis argumenta testantur. 1. Fidei ab ipsis traditæ summa. confer eam cum aposto-

postolorum & prophetarum doctrina, deprehendes, ni in luce  
coecutias, elegantissimam harmoniam, quæ Deum auctorem  
refert non hominem. In ea pedem figimus: præsertim cum  
Paulus eadem planè ratione doctrinam, quam tuebatur, non  
à se noviter inventam, sed Deo autore gentibus propositam  
coram Felice Agrippa asseruisse, Lucas testis sit omni excepti-  
one major, actor. 24. 14. cap. 26. 22. 2. Ecclesiæ nostræ praxis:  
Non pender à Lutero & Calvino, nisi quantum ipsi à Chri-  
sto. Rectè dicta approbat, non quòd ab ipsis sint profecta, sed  
quòd pastoris sui vocem in servis agnoscat. Erroribus, si qui-  
bus se ex humana infirmitate obnoxios reddiderunt, non ap-  
plaudit, quin potiùs ex Dei verbo prudenter corrigit. Interim  
ipso pro honoratis ministris habet, quorum præclarus fuit u-  
sus, in veritate non quidem primitùs orbi inferenda, attamen  
postliminio in lucem producenda, postquam Deus eum den-  
sissimis nebulis, quibus offusus aliquot seculis jacebat, caput  
altiùs jussit tollere: planè juxta sententiam Augustini, qui epist.  
19. ad Hieronymum scribit: *Ego fateor charitati tuæ: solis ijs scri-  
pturarum libris qui jam canonici appellantur, didici hunc hono-  
rem timoremq; deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo a-  
liquid errasse firmissimè credam.* Paulò post: *Alios autem ita  
lego ut quantalibet sanctitate doctrine præpolleant, non idcirco  
verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos  
auctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhor-  
reant, persuadere potuerunt.*

## II X.

II. Quæ verò nova dogmata Bellarminus notat? *Homi-  
nem justificari per solam fidem specialem, id est, per hoc solùm quòd  
se justos putent & Eucharistiam non esse sacrificiam.* Resp. I. Lu-  
therus nusquã docet, homines per hoc solùm justificari, quòd  
se justos putent: mera enim esset opinio, que madmodum ipse  
Bellarminus vocat præfat in tom. I. controversiarum. Quam  
opinio-

opinionem in Luthero Bellarminus ostendat, aut agnoscat calumniam. 2. Non putando, sed credendo, id est, unicum Christi mediatoris *λύτρον* pro peccatis solutum, ejusque meritum in verbo evangelii oblatum verâ fide, seu fiduciali assensu apprehendendo coram Deo hominem justificari, & Lutheri & Calvinii constans est doctrina. Num verò nova? Nempe si novum est, quod sacratissimus Prophetarum ordo tradidit, quod veteris testam. ecclesia jam in cœlo triumphans credidit, quod cœlicus apostolorum chorus suavissimo concentu ubique decantavit, quod denique adoranda in una Deitate trinitas supernè ratum habuit. Nominamus è Prophetis Moſen Genes. 15. 6. Davidem Psalm. 32. 1. 2. & 130 3. 143. 2. Habac. cap. 2. ex apostolis Paulum Rom. 3. 4. & 5. Gal. 2. & 3. Ephes. 2. 8. 9. Tit. 3. 5. 6. 7. Non enim jam de ecclesiæ doctoribus dicemus, quorum pulpita hanc doctrinam sonuerunt, antequàm lucem Lutherus aspexit. Quid quòd Bellarminus, Lutherum idem cum Simone Mago & Eunomio docere (quamvis non sine mendacio) vociferatur? l. 4. de not. eccles. c. 4. pag. mihi 318. Num novum est, quod apostolorum tempore est traditum? Solos enim tēporis articulos isti homines observant. Rectiùs verò Johan. Hofmeisterus in harm. aug. confes. Fabriciana pag. 46. *Ante exitum hunc in ecclesia tumultum nemo fuit offensus particulâ illâ SOLA, quam jam tenera quorundam aures vix ferre queūt, nemo siquidem unquam in jus vocavit d. Ambrosium, quòd affixit, hominem solâ fide justificari.* Et Cassander in consult. art. 4. fatetur exempla in patribus suppetere, ubi quoq. justificatio, qua est post regenerationem, solâ fide constare dicitur.

I X.

3. Eucharistiam quodam sensu sacrificium à veteribus piè vocari, nec Lutherus, nec Calvinus abnuir: Nempe 1. quatenus unicum Christi sacrificium *ἱλαστήριον* in crucis ara peractum representat, 2. Communicantes verò laudis sacrificium Deo offerunt.

ferunt. Verùm propriè loquendo sacram cœnam sacrificium  
*ἱερατικὸν* esse pro vivis & mortuis offerendum, cum Lutero Cal-  
vinus negat. Quod dogma novitatis nec Bellarminus, nec i-  
pso major Papa damnare debet, priusquàm contrarium, quod  
humana supersticio invenit, commentum authenticis scriptu-  
rarum tabulis confirmatum nobis sistant. Huc nervos inten-  
dant, in hoc curas, cogitationesq; suas configant. Epistolæ ad  
Hebræos, ne de reliquis commentariis dicamus, splendorem  
non magis papisticus foetus sustinet, quàm nycticorax Solis  
radios.

X.

III. *Locum* quidem adversarii nominant, ubi Evangelium  
patrum nostrorum seculo instaurari cœpit: Ibi verò ecclesiæ  
nostræ doctrinam primùm natam esse, quibus argumentis pro-  
bant? Cedant foro necessum est, nisi nobis satis sit, quod isti  
contra nos pronunciant. Ad quam vilitatem se dimittere in-  
dignum est Dei servis. præsertim cùm in Romana sede regnal-  
se indubitatis argumentis constet, priusquàm ipsam nitore suo  
restitutã Saxonix aliisq; Germanix & Gallix partibus conspi-  
cari datum est. Nisi doctrinæ genus in sede romanâ olim so-  
nuisse dicas à scripturis apostolicis alienum & viris apostolicis  
penitus ignotum.

XI.

IV. *Tempus*, quo Deo præclara lumina, Lutherum dico,  
Zuinglium, Calvinum, ecclesiæ inferre visum est, ad omnem  
posteritatem, si quæ futura est, celebrabitur. Tempus, inquã,  
fidei non instituendæ, sed restituendæ, doctrinæ non novan-  
dæ, sed innovandæ, ecclesiæ non fundandæ, sed instaurandæ æ-  
terno Dei consilio destinatum, votis piorum diu expetitur,  
 tandem impetratum. Fidem verò, quam tuemur, ecclesiam  
in quâ vivere gaudemus & mori unicè cupimus, demùm an-  
no 1517. cœpisse, Bellarminus testibus probare jussus præter se

B

excita-



excitare potest neminem. Nec pudendum defectum argumentis potest supplere. Quomodo enim decimo quinto centenarij cœperit, quod anno Tiberii decimo quinto Christus ipse prædicare cœpit, deinde apostoli summo studio longè latequè propagarunt? Scipsum homo subvertit. Nam lib. 4 de notis Ecclesiæ cap. 4. calumniatur, Lutherum & Calvinum de auctore peccati idem docere cum Florino, de perditâ imagine Dei cum Origene, de concupiscentia cum Proclo, de li. arbitrio cum Manichæis, de poenitentia cum Novatianis, qua de re infra, Deo volente, agemus. Jam nobis ad versarius conciliet hæc duo; doctrinam Evangelicam anno 1517. natam esse, & tamen in veteribus hæreticis, quod calumniatur, vixisse.

XII.

V. Sanè & academias & doctores caudis instar vulpium Simsoniarum in concilio Tridentino conjunctis in ecclesiam Dei impetu facto segetem Evangelicam exustum processisse, non inficiamur. Insignem verò fallaciam nec quidem pueris obscuram committit, quisquis doctrinam novitatis eo nomine accusatum prodit. Quasi antiqua veritas, ex tenebris quas ingratitudo meruerat, primùm neglectus, deinde superstitio auxerat, tandem tyrannis firmaverat, in lucem producta, à tenebrionibus recens congregatis oppugnari nequeat; quasi novum sit & falsum, quod oppugnatur, verum autem & antiquum, quod sive ab antiChristi, sive alio errantium cœtu non impetitur. Quàm facilè Christi ecclesia & doctrina falsitatis suspicionem subibit, si hoc hominum genus ecclesiæ audiendum esse semel statuas? Illam enim mox à Scribis & Pharisæis oppugnatam esse & scriptura affirmat, & gens adversaria concedit.

XIII.

VI. Crassissimus v. est consequētis error in hac Bellarmini conclusione: *Scimus humilia doctrinæ Evangelicæ initia: Ergò est doctrina nova, ergò falsa & heretica.* Quid enim si gentiles in

in Germania olim hanc concludendi artem edocui pariter arguissent; Vidimus exigua doctrinæ Christianæ per Germaniã initia: Ergò ipsa doctrina nova, falsa, hæretica. Quid si ante illos Judæi contra Christum conclusissent; vidimus tenuia Evangelii initia: dicunt enim Pharisei Joh. 7. 48. 49. *Num quis ex primoribus credidit in eum, aut ex Phariseis? sed turba hæc quæ non novit legem execrabilis est.* Ergò doctrina Christi (absit verbo blasphemia) nova? Nempe manifesta est adversariorum impudentia, qui ex eo religionem nostram suspectam conantur reddere, quod cum Christo nobis est commune. de quo August. tom. 9. in Psalm. 98. *parvum, inquit, fuit nomen tuum, quando irascebantur; factum est magnum, jam confiteantur. Quomodo dicimus parvum fuisse nomen Christi, antequam præclare diffamaretur Christus? quia nomen ipsius fama ipsius dicitur, parvum nomen erat. Jam modò nomen magnum factum est.* Vide Theodor. tom. 1. in Ezech. pag. mihi 385.

XIV.

Henricus Lancelottus in lib. cui titulus, *Hereticum quare, per Catholicum quia clarè solutum* q. 1. pag. 5. Hierosolymitanæ civitatis jus religioni nostræ denegat & inde in hunc modum concludit: *Vera fidei prædicatio incipere debet à Jerosolymis, ac postea in omnes mundi partes propagari Luc. 14. 47. sed neq. Lutherana & Calviniana fidei prædicatio exordium à Jerosolymis sumsit, nec inde ad omnes mundi partes diffundetur, vel est diffusa. Ergò ea non est vera fides. Minorem probat, quia Lutherus & Calvinus Jerosolyima nunquam salutarunt, nunquam eorum fides orbis medietatem pervasit.*

XV.

Resp. 1. Majorem asterisco notandam censemus: Commendat enim ecclesiæ Hierosolymitanæ præ universis in orbe eminentiam, & privilegium, quo Christus juxta prophetarum prædictiones ipsam honorare voluit. Primatum autem eccle-

fiæ romanæ, quem humana ambitio tuetur, fortissimè subvertit, matris titulum non Romæ, sed Hierosolymis deferens.

2. Minor est longè falsissima. De diffusionem per universum orbem nihil jam dicemus: quintâ disputatione res satis est exposita. Inani verò prætextu civitatis Hierosolymitanæ jus religioni nostræ denegat. Num enim veritatem ex Hierosolymorum conspectu pendere putabimus? Aliud universa scriptura, aliud tota sanctorum historia testatur. Si Lancelotto credas, Paulus veram doctrinam non potuerit tradere, priusquam salutasset Hierosolyma. Quid ergo docuit in Syria & Arabia antequam iret Hieros. ad videndum Petrum, quem triennio demum elapso vidit, Galat. 1. Quid fiet de Patribus, Episcopis, præsulibus, doctoribus, quotquot Hierusalem non salutarunt? Si Lancelotto credas, omnes Papistæ falsam doctrinam profitebuntur (quod unicè verum est) quotquot Hierusalem non viderunt?

3. Distingue ergo publicum certarum personarum præconium ab ipsa doctrinâ, quam prædicant. Lutherus quidem & Calvinus montem Sion non salutârunt, sed ille in Saxonia, hic in Sabaudia Papatui contradicere & evangelium prædicare cœpit: doctrinam verò, quo ad fundamentum non aliam attulerunt, quam cuius prædicatio Hierosolymis cœpit. Enumeret, qui volet, hujus capita omnia & singula: Eadem, DEO nos juvante, in nostra ecclesia ostendemus. Quicumque doctrinam apostolorum habet, is adorat in loco, ubi steterunt pedes eorum. Sic enim verba Psalm. 131. Hieronymus interpretatur. (*Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.*) *In quo prædicationes apostolica audiuntur, qua ut pedes sustinet totum corpus ecclesie.*

#### XVI.

Lancelottus excipit 1. *Idem omnes hæretici dixerunt: quia dictu facillimum & allegatu: 2. Christus non doctrina sed prædicatio*

3  
ca  
17.  
f  
3  
38.  
39.  
4  
42.  
50  
43.  
44.  
44.  
44.  
44.  
46.

tionis evangelica exordium à Jerofolymis sumendum dicit. 3. non nisi ex prædicatione cognoscitur doctrina, Rom. 10. 14. Ad I. Resp. 1. Imò quidam hæretici doctrinam suam Christi Evangelio prætulerunt. Carpocrates plus se Christo & Apostolis scire dixit. Discipuli Montani, inquit Tertullianus, dicunt paracletum plura in Montano dixisse, quàm Christum in Evangelio protulisse, nec tantùm plura, sed etiam meliora atq; majora. Eorundem etiam est illud; Paulus ex parte sciebat, & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat, quod (postea in Montano) perfectum est. Vide Epiphan. libr. 1. hæres. 27. Tertullianum de præscripr. August. ad Quod vult Deu M. 2. Plerique quidem hæretici Christi doctrinam prætendunt, etiam inter eos Papiſtæ: Instructi enim de scripturis sanctis adversus Dominum legis & Prophetarum & Evangelij verba vertunt, inquit Hieronymus in cap. 7. Hoseæ tom. 5. pag. 55. quasi sylvestres pulli sanguinarij vulturis aut accipitris non solum ad veritatem duorum testamentorum venire non acquiescunt; sed adhuc veniunt super ipsam gallinam, id est, ecclesiam & diripiunt & dispergunt pullos ejus, & evellunt eam, inquit Chrysostomus homil. 47. in cap. 23. Matth. A quibus omnibus differimus, quia quod dicimus reipsâ probamus; Innexæ enim sunt sibi invicem fidei nostræ rationes & veritatis vinculis adstrictæ, ut mihi de suo hoc concedat Hieronymus tom. 8. hom. 3. in cant. p. 145.

XVII.

Ad II. Resp. 1. Christus non excludit doctrinam, cùm solennis prædicationis initia Hierosolymis defert. 2. Hieronymus ad fidem refert tom. 3. in Psalm. 49. Ex Sion species decoris ejus) Quæ est, inquit, fides atq; credulitas, quæ ex Sion incipit. Unde Dominus in Evangelijs, oportebat hæc Christum pati & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus. Luc. 24. Ad fidem refert Augustinus tom. 8. in Psalm. 147. pag. mihi 618. Cæpit, inquit, enim ecclesia ab Hierusalem ista terrena, ut gaudeat

de Deo in illa Hierusalem cœlesti. Ab hac enim incipit, in illam terminat, in illa tota Ecclesia erit, ab ista exordium FIDEI sum-  
sit. Ad legem Evangelicam & verbum apostolicum refert Theodoretus, illudq; cum ab Hierusalem tanquam fonte ince-  
pisset, per omnem terrarum orbem per vagatum esse scribit tom. I  
in cap. 4. Micheæ pag. mihi 471. Ideò Chrysoströmus civitatis  
fundamenta posita esse scribit, super montes scripturarum I. ci-  
tato. 3. Iterum verò eleganter Hieronymus in Psalms. 132. pag.  
mihi 163. Nos sit ament de ecclesia sumus, ecclesiam autem dico  
dogmatum veritatem, Christi confessionem, nos in adificium su-  
mus. Et quanti sancti sunt in deserto, quanti de nobis non sunt  
in ecclesia, & illi qui non sunt de ecclesia, versantur in ecclesia  
Christi. Si ergò sumus in Ecclesia; si habemus fidem ecclesie, fidem  
apostolorum, fidem Christi, dogmatum veritatem, montes sumus  
Sion. Nolumus esse de Sion valles, sed montes Sion.

XII.

Ad 3. Ex præconio hauritur doctrina: nec quisquam le-  
gitimè docet nisi legitimè missus, teste Paulo: Interim præco-  
nium ex doctrinæ genere dignoscendum esse, universa scriptu-  
ra statuit. Ideò Christus ad scripturas nos remittit Johan. 5. 35.  
Ideò Berhoenses inquisiverunt in scripturâ, num ita se habe-  
rent, quæ Paulus docebat actor. 17. Cùm ergo doctrinam a-  
postolorum teneamus, cur non prædicationis nostræ initia ad  
Hierosolyma referamus? Quoties enim loquuntur in ecclesiis  
nostris verba & acta Prophetarum & apostolorum; propheta &  
apostoli missi nihilominus loquuntur ad nos, quos omnes missos ad  
se, heretici dum negligunt & malè interpretantur, occidunt &  
lapidant eos, inquit Chrysoström. homil. 47. in cap. 23. Matth.

XIX.

Sed properemus ad ultimum quæsitum: Num religio e-  
vangelica habeat à novis hominibus diversorum nominum se-  
ctas? Affirmant adversarii, atque hoc argumento hæresis su-  
spicio-

spicionem nobis impingunt. Distingue hinc nominis novi iniquam attributionem à spontanea usurpatione & res erit expedita. Religio nostra evangelica à Pontificiis nomine Lutheri & Calvini traducitur: sed iniquissimè: Sive nos qui traducimur, sive eos sub quorum nomine traducimur, spectes. Iniquissimè, si nos spectes: Etenim quod Augustinus Paganis de Petro responderet, id nos accusatoribus nostris responsum volumus. Quid verò ille? *Nos, inquit, ergo, qui sumus vocamurque Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus. Petri de Christo edificati sermonibus, non carminibus venenatis: nec decepti maleficijs: sed beneficijs ejus adjuti. Ille Petri magister Christus in doctrinâ, quæ ad vitam ducit æternam, ipse est & magister noster* lib. 18. de civitate Dei cap. 54. pag. mihi 224. Responsum volumus, quod Chrysostronus adversariis regerit hom. 33. in acta: *Numquid, inquit, scindimur ab ecclesia? Num ab hominibus cognomen habemus? Nam quid nobis dux quidam est, sicut illi Marcion, & illi Manichæus & huic Arius, alteri verò alius hæreseos dux? Quod si & nos agnominacionem cujusdam sortimur, sed non ut ab hæresum principibus, sed ut ab his qui præsent nobis & gubernant ecclesiam. Non habemus doctores super terrâ, absit, unum habemus in cælis.*

XX.

Iniquissimè, si Lutherum & Calvinum contuearis. Neuter enim suum nomen, schismati servire voluit: contra vero uterque protestatus & quidem verbis gravissimis. Ille quidem tom. 4. germ. fol. 4. *Sunt, inquit, qui se Lutheranos esse gaudent: non sic ô fatue, non sic, oro ut nomen meum taceatur, & nemo Lutheranus, sed Christianus appelletur. Quid est Lutherus? doctrina non est mea, neque pro vobis crucifixus fui. D. Paulus sc. 1. Cor. 3. nolebat pati ut Christiani dicerentur à Paulo, sed à Christo. Unde igitur mihi sætido vermium sacco accederet, ut filij Dei à meo vilissimo nomine denominarentur? Absit, ô amici! deleamus schis-*  
*mata*

*matica nomina & denominetur Christus cuius doctrinam habemus. Calvinus verò in resp. ad Versipellem scribit: si pro sua gravitate imprimis odit factionum nomina, & ex inferis emissa credit: dum hi alios papistas, antichristianos Satana ministros, hostes doctrinae Christi: illi verò contrà alios haereticos, schismaticos, apostatas, ecclesiae Christi hostes appellant, cur ipse nova & inaudita, nec minus odiosa paulò post comminiscitur, dum anticatholicos, & Calvinianos rectè vocari censet, quos olim pro suis condiscipulis habuit? Vim ergo adversarii faciunt ecclesiae nostrae & ejus ministris Luthero & Calvino.*

X XI.

Spontanea nominis usurpatio potius suspecta fuerit. Sed hinc rursus distingue. Usurpatur enim nomen vel haeretici, vel veri doctoris. Haeretici nomen usurpatum haereseos suspitione hominem involvit: qua de re disputatione primà egimus. Convincant itaque Lutherum & Calvinum haereseos, qui ipsorum nomine ad nos praegravandos abutuntur. Ceterum nomen doctoris non numquam usurpatur amore praecclarorum donorum, quibus praemultis ornatus fuit. Id quod Paulus in ecclesia Corinthiaca reprehendit. 1. Corinth. 1. & 3. tandem rationem in Evangelicis, qui Lutherani dicit volunt, agnoscimus, Si immoderato Zelo hoc tribuas, non repugnamus. Nolumus tamen malitiae, sed in firmitati potius adscribere. Nec à pontificijs jure hac quidem de causa accusantur quam diu Christo capiti adhaerent, & Lutherum pro ministro habent, qui veritatem ita tutatus sit ut communi humanae imbecillitatis legi semper obnoxius manserit; quod ipse agnoscit tom. 2. Jenensi lati. praefat. comment. in psalm. Imò doctiores Evangelici se potius Lutheranos ab adversarijs vocari, quam se ipsos appellare, disertè scribunt.

X XII.

Videndum etiam est, quo sensu sophista homines nostros

3  
11.  
38.  
39.  
42.  
43.  
44.  
45.  
50.  
49.  
44.  
48.  
45.

ros novos appellet: Fatemur novos fuisse, quia aliquandiu mendacia in orbe prævaluerant; Novos, hominum opinione, quia veritas quam prædicabant, seculo isti videbatur nova: Novos, quia quotidie proficiebant; *Et hoc sensu omnes novi esse debemus, quia vetustas nobis obrepere non debet, sed etiam crescendum & proficiendum est*, inquit Augustinus in Psalm. 131. pag. mihi 548. Nec omnem novitatem profanam esse, eleganter defendit idem ecclesiæ Doctor, tom. 9. tractat. 97. in cap. 16. Johan. Qui novos appellat, quasi doctrinam novam & scripturæ ignotam protulerint, fidem verbis faciat. Nos vetustam Apostolorum doctrinam apud ipsos cum inveniamus, novis hoc sensu accensere nec volumus, nec possumus. Ergo inter novitatem veram & apparentem distingue, & res est expedita. Illa pendet à re ipsa: hæc ab opinione & pravo hominum iudicio. hanc cōcedimus: quæ non obstat veritati, nisi ex eo Christi & Apostolorum doctrinam suspectam velis reddere, quod Judæi, Marc. 1. 27. clamant, *Quanam hæc est nova doctrina?* & Athenienses, Act. 17. 19. *Possimus ne scire, quanam sit nova illa, qua à te proponitur, doctrina?* Novitas vera est rerum & nominum. Illa suspecta est, nec apud nostros invenitur: hæc alicubi est necessaria ad refutandum hæreticos, teste Augustino, qui tom. 9. tractat. 97. in cap. 16. Johan. ubi in locum Pauli, 2. Tim. 4. 3. incidit, sic scribit: *Et non ait verborum novitates, sed addit profanas; sunt enim & doctrina religionis congruentes verborum novitates*, sicut ipsum nomen Christianorum quando dici ceperit, scriptum est. Infrà. *Adversus impietatem quoque Arrianorum hæreticorum novum nomen patris Homousion condiderunt: sed non rem novam tali nomine signaverunt.* Rem igitur antiquam cum teneamus, quis novitatis crimen nobis impinget?

Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu nostro, Amen.

C

Doctis





Doctissimo Juveni,  
M. JOHANNI VULCKMANNO,  
Cassellano, &c.

**N**on id quod est antiquius semper probum  
VULCKMANNE credas: optimum scias tamen.  
Debere te putare, quod rerum omnium  
Pronunciavit auctor antiquissimus.  
Non errat hic; sed ipse Veritatis est  
Opifex, origo, fons, & ipsa Veritas.  
Ab hoc vel unguem qui discesserit, male  
Errabit, ut vel ipsa antiquitas fiet.

Caspar Sturmius D.

---

*Omnibus doctrine & pietatis ornamentis redundantis  
Viro-juveni,*

Da. M. JOHANNI VULCKMANNO,  
Cassellano, publicè disputaturo de Religionis  
Evangelicarum Ecclesiarum anti-  
quitate.

RAPHAEL EGLINUS ICONIUS, DOCTOR  
& Professor Theologus accinebam.

**Q**uod primum, verum est; nec vero antiquius ullum  
Ut prius omne bonum cernitur esse malo.

Quânam

Quânam Evangelicis antiqui nominis ergo  
Eripis usuram, fronte, Sophista nugax?  
Quâve tibi mendax antiqui nominis usam  
Adscribis? quando non nisi falsa doces?  
Cernatur verum! antiquum cernitur eodem  
Limite! Nec verum dixeris esse novum.  
Ni nova sint, à te quæ sunt oppleta tenebris  
Cimmeriis: sic sunt vera putanda nova.  
Vera, mihi quæ antiqua placent, quæ jure novantur,  
Postquàm sunt nebulis pressa Sophista tuis.  
Qualis Apelleis pictura antiqua tabellis  
Pressa situ, vivo tersa colore nitet,  
Non est reapse nova: at primævæ reddita luci;  
Lux Evangelicis talis oborta recens,  
Ipsa tamen vetus est: Vetus hinc Ecclesia nostra est,  
Quod, nisi qui captus lumine, nemo negat.  
Hæc VULCKMANNE pugil doctis tuiturus Elenchis,  
Rem dignam CHRISTI, nomine, teque facis.  
Gratulor & sancti tibi *av&uat* apprecor auram,  
Ut vetus antistes possis & esse novus.

Ad Dominum RESPONDENTEM,  
Hexametro Jambicum.

Questio, Vulckmanne, est isthæc antiqua, Magister,  
Antiquius quid est antiquitatibus.  
Ille ait: Æterno nihil est antiquius usquam:  
Hic asserit: Nil veritate antiquius.  
Utriusque eadem nec non responsio vera est,  
Est una res Æternitas & Veritas.  
Est hæc ipsa DEUS, finem qui nescit & ortum:  
Hinc *ἐκ τῶν* profeminata veritas

C. 2.


Arche.


Archetypi hac Instar nullo audit mobilis evo.  
Vivet, vigebit, vincet una Veritas,  
Prodit a qua sacris extat Sapientia libris,  
A spiritu DEI profecta caelitus.  
Hac Fidei & vitæ norma est: Ratioq; salutis  
Hinc æviterna panditur certissima.  
Ergò tua, Antiqui Defensor Candide veri,  
Sit veritatis lima Disputatio:  
Veri Hyperaspistes Crocius tibi præt & ore  
Disertiore, & acriore Spiritu.


Rodolphus Goclenius Professor Philof.  
in Acad. Marp. primarius faciebat.

F I N I S.






















5  
IV.

**ca genus non est ars nec prudentia.**

ut prolixi sumus, nulla flagitat nece sitas: unico igr  
ur: quicunq; habitus philosophicus non est practi-  
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ  
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-  
phis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.  
t prudentiæ propria indoles, uti minore[m] ipsius  
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte  
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-  
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse  
ysicæ non competit definitio Artis. Erg. Major  
tio generis competit speciei generi subjectæ, quia  
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor  
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-  
tusectivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-  
theor. transe. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-  
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-  
es habitus practici: Forlan species alicui compe-  
genus illius speciei? quod ego non crediderim,  
omo sit & non animal. Hac ille. Artem contem-  
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. f. 1. & Scharf. theor.  
p. 20. proclamamus σιδυρόζυλον. Nec juvat eum  
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitore  
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.  
b. 1. art. 3. f. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.  
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

**ca genus non est intelligentia.**

usio non aded sit apud Dd. Metaph. controver-  
a brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta  
lided non possit esse genus Metaphysicæ, quia  
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic  
æ constituere nequeat, quia præcisè Principia  
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-  
a. esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-  
A 3 jor